que ea ratione perfectionem & meritum tribuat. Ad 6. vita æterna promittitur ut corona & merces actibus charitatis, gratiæ autèm promittitur ut hæreditas. Vel vita æterna promittitur charitati ut principio proximo actûs meritorii, gratiæ ut principio radicali. Ad 1. additum: Non agitur ibi de charitate, qua nos diligimus Deum, sed qua Deus nos diligit, seu de dono & effectu divinæ dilectionis, qui est gratia, quem Scriptura vocat charitatem Dei, eo sensu quo voluntas Dei dicitur id, quod vult Deus; ut cùm dicimus: *fiat voluntas tua.* Undè ex hoc textu potiùs confirmatur Conclusio, quàm infringatur. Ad 2. additum: Sensus est, quòd remissio peccatorum tribuatur charitati, ut dispositioni comitanti gratiam, quæ est formalitèr remissio peccati. Undè illi, qui plùs diligit, plura peccata remittuntur, quia majorem gratiam habet.

Obj. 2. cum eodem: Causa formalis, qua justificamur, est gratia sanctificans; hìnc enim justificans etiàm appellatur; atqui charitas est causa formalis, qua justificamur: ergo. Prob. Min. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7. ait, nos effici formalitèr justos per justitiam, qua donamur a Deo: & paulò pòst ait, id fieri in nobis, dùm charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur: ergo. R. N. Min. Ad prob. Concilium non dicit, nos effici formalitèr justos per infusionem charitatis, sed per justitiam, qua donamur a Deo, quod fit, inquit, dùm infunditur charitas, quia cum charitate simùl infunditur gratia, neque solùm gratia, sed etiàm fides & spes, ut subjungit ibidèm Concilium. Hæc enim omnia & gratiam & virtutes complectitur justitia, qua donamur & justificamur, ità ut omnia concurrant in ratione unius formæ completæ justificationis, quodlibet suo modo; gratia dignificando & rectificando animam, virtutes ordinando potentias in operationes & finem. Id apertè significat Concilium ibid. initio cap. dùm dicit, justificationem esse *sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum*: Et posteà subjungit, quòd *in ipsa justificatione cum remissione peccatorum* (quæ fit formalitèr per gratiam) *hæc omnia simùl infusa accipit homo... fidem, spem, & charitatem.* Undè neminem movere debet, quòd in verbis objectis non exprimat gratiam; illam enim expresserat initio capitis, ut distinctam a virtutibus, & in verbis sequentibus illam innuit per remissionem peccatorum, quæ, ut dixi, est effectus formalis gratiæ. Insupèr Can. 11. ejusdem Sess. hanc distinctionem exprimit, dùm dicit homines non justificari, *exclusa gratia & charitate.* Si fortè dicas, Concilium in hoc ultimo loco prosequi in singulari numero sic: *Quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat,* quod signum est ipsum loqui de gratia & charitate tanquàm de una & eadem re. R. Concilium loquutum fuisse in numero singulari, non quia gratia & charitas sunt unus habitus, sed quia sunt unum in ratione causæ formalis justificationis; loquitur enim de illis, quatenùs constituunt unam causam completam justificationis.

Obj. 3. Si gratia & charitas realitèr distinguerentur, possent, saltèm de potentia Dei absoluta, separari; sicùt proprietates naturales possunt de potentia Dei absoluta separari ab essentia, ut calor ab igne; atqui falsum Consequens: ergo. Prob. Min. Si gratia esset in aliquo sine charitate, ille esset Deo gratus & amicus, quia eum esset talem efficeret gratia; & non esset, quia non diligeret Deum. Itèm iste salvaretur, cùm per gratiam esset filius Dei adoptivus, & consequentèr hæres Regni; & non salvaretur, quia non haberet charitatem, sine qua nemo salvatur. Similitèr, si esset in eo charitas sine gratia, esset gratus Deo, quia ipsum diligeret; & non esset gratus, quia careret gratia, per quam fit gratus. Itèm posset salvari, quia nullum haberet peccatum, quod est incomposibile cum charitate; & non posset, quia, carens gratia, non esset filius & hæres, & ideò non haberet jus ad Regnum: ergo. R. Dato Ant. N. Min. Ad 1. inconveniens, R. quòd iste foret formalitèr Deo gratus & a Deo dilectus per gratiam, ex qua natus est sequi habitus charitatis, qua fieret etiam Dei dilector, si non impediretur; & ideò non obstaret, quin Deus ipsum diligeret, præsertim cùm in occasione posset etiàm diligere Deum ex motione Spiritus Sancti. Ad 2. R. Quòd iste salvaretur, non jure meriti, sed jure hæreditatis. Quòd autèm nemo salvetur sine charitate, id verum est secundum cursum ordinarium, non extraordinarium. Ad 3. Multi negant possibilitatem hypothesis; quia, inquiunt, impossibile est dari proprietatem præsertim vitalem in aliquo subjecto sine essentia, a qua dimanat: si non potest esse intellectus, aut voluntas sine anima rationali: charitas autèm est potentia vitalis ordinis supernaturalis, undè non potest existere sine gratia, quæ est radix vitæ supernaturalis. Sed, data possibilitate hypothesis, R. Quòd iste homo foret gratus Deo dispositivè, non formalitèr; & quòd salvaretur, non jure hæreditatis, sed jure meriti, non quidèm omninò de condigno, proptèr defectum dignitatis personalis, sed aliquo modo inferiori: vel, ut alii volunt, pertineret ad Dei providentiam de aliquo alio fine ei providere.

Obj. 4. Si gratia distinguatur a charitate, ut essentia a proprietate, sequitur quòd gratia non possit augeri, quia essentia rei non suscipit magis & minus: Falsum Consequens: ergo. R. N. Sequelam. Ad Probat. D. Essentia rei, secundùm perfectionem specificam considerata, non suscipit magis & minus essentialitèr, C. Si enim ei aliquid essentiale addas, aut subtrahas, jam non erit eadem essentia: sicùt, si numero ternario demas, aut addas unitatem, desinit esse ternarius. Essentia rei individualis non suscipit magis & minus accidentalitèr, N. In his enim rebus, quæ suscipiunt magis & minus, qualis est gratia, dùm augentur, aut minuuntur, earum essentia individualis paritèr augetur, aut minuitur. Patet in ipsis virtutibus, v. gr. charitate, quæ dùm augetur, ejus essentia individualis augetur.

Petes, quomodò virtutes dimanent a gratia? R. Quosdam opinari, quòd dimanent tantùm moralitèr, quatenùs simùl infunduntur cum gratia, si non præextiterint. Alii existimant, dimanare, non tantùm moralitèr, sed physicè, seu saltèm modo quodam ad fluxum physicum accedente, quatenùs scilicèt gratia ità est radix illarum, ut juxtà dignitatem statûs & capacitatem subjecti illas exigat: idque videtur conformius modo loquendi S. Thom. qui dicit virtutes a gratia fluere, derivari, oriri, &c. Et alioquin accidens commune, quod naturalitèr comitatur subjectum, posset dici paritèr dimanare & fluere a substantia rei; quod tamèn non solet dici nisi de proprietatibus.

ARTICULUS V.

Utrùm Gratia sit in essentia animæ tanquàm in subjecto, àn in aliqua potentia?

DIco: (*Hìc art. 4. o.*) Gratia est in essentia animæ tanquàm in subjecto, & non in aliqua potentia. Sequitur ex art. præced.

Prob. (*Ibid.*) Omnis perfectio potentiæ rationalis est virtus; potentia enim est ad operandum, & virtus est habitus operativus, ut patet ex dictis in Q. 55. & 56.; atqui gratia non est virtus, sed quid prius virtute, ut probatum est art. præced. ergo debet ei assignari subjectum prius potentiis animæ; quod non potest esse aliud, quàm essentia animæ, ut scilicèt, sicùt homo participat per intellectum cognitionem divinam mediante virtute fidei, & per voluntatem participat amorem divinum mediante virtute charitatis, ità etiàm per naturam animæ participet secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem & recreationem.

Confirm. 1. Per gratiam regeneramur in filios Dei; atqui generatio priùs terminatur ad essentiam, quàm ad potentias: ergo. (*Ibid. in arg. s. c.*) Confirm. 2. Inconveniens foret, quòd essentia animæ minùs perficeretur donis supernaturalibus, quàm ejus potentiæ: ergo debet in ea reponi aliquod donum supernaturale ipsam elevans ad ordinem supernaturalem, ut totus homo sit supernaturalitèr perfectus & quoad esse & quoad operari; atqui nullum aliud potest assignari, quàm gratia habitualis: ergo.

Obj. 1. Gratia & gloria sunt in eodem subjecto; atqui gloria non est in essentia animæ, sed in ejus potentiis; est enim ipsa beatitudo formalis, scilicèt visio clara Dei: ergo. Prob. Maj. Gloria nihil est aliud, quàm gratia consummata: ergo. R. Hoc argumento probari, si quid probet, gratiam esse actum & non habitum, siquidèm gloria sumpta pro beatitudine formali sit actus, scilicèt visio Dei. Igitùr N. Maj. Ad Prob. D. Ant. Gloria sumpta pro beatitudine formali, quæ est Dei visio, est gratia consummata N. Ant. Aliàs, ut dixi, gratia consummata foret actus. Gloria, sumpta pro radice hujus beatitudinis formalis, est gratia consummata, C. Et hæc gratia quidèm consummatur per beatitudinem formalem, sicùt quælibet res consummatur per assecutionem finis; at non est ipsa beatitudo formalis.

Obj. 2. Opposita sunt in eodem subjecto; atqui peccatum, quod opponitur gratiæ, est in voluntate: ergo. R. D. Min. Peccatum quoad actum & habitum vitiosum est in voluntate, C. Peccatum quoad reatum, offensam, & maculam, quæ est ipsa privatio gratiæ, N. Sic enim est in essentia animæ.

Obj. 3. Gratia est principium & forma meriti; atqui meritum est actus potentiæ: ergo. R. D. Ant. Gratia est principium radicale meriti, C. Principium proximum, N. Dicitur autèm forma meriti, quatenùs reddit personam Deo gratam, & consequentèr ejus actum gratum; undè debet residere in essentia personæ. (*Ibid. ad 2.*)

DISSERTATIO V.

DE DIVISIONE GRATIAE.

D. Thom. Quæst. III.

ARTICULUS I.

Variæ divisiones Gratiæ.

GRatia ut sic, Theologicè sumpta, proùt de ea hìc agimus, est *Donum supernaturale, gratis a Deo concessum creaturæ rationali intuitu meritorum Christi, in ordine ad salutem æternam.* Dicitur *donum*, quod tenet locum generis. Dicitur *supernaturale*, ut distinguatur a donis naturalibus, quæ non nisi lato sensu gratiæ dicuntur. Non tamèn indè excluditur certa dispositio rerum naturalium ex singulari providentia in ordine ad salutem. Hæc namquè est supernaturalis ex parte finis & principii. Dicitur *gratis concessum*, id est, nullo modo debitum; alioquin non foret gratia, ut dicit Apost. Dicitur, *Creaturæ rationali a Deo concessum intuitu meritorum Christi, in ordine ad salutem* Per primas particulas designatur subjectum, seu causa materialis gratiæ; per sequentes causa efficiens; per subsequentes causa meritoria; per ultimas causa finalis.

Gratia sic descripta dividitur 1. in externam & internam. Externa est, quæ hominem intrinsecè non afficit, sed extrinsecè tantùm, ut sunt lex divina, prædicatio Evangelii, miracula, exempla Christi & Sanctorum, occasiones benè agendi providentia supernaturali præparatæ, occasiones peccandi eadem providentia remotæ: uno verbo omnis effectus providentiæ supernaturalis ad salutem nostram ordinatus. Hanc gratiam elegantèr ex parte describit Aug. l. 50. Hom. 23. inducens Deum sic loquentem: *Regebam te mihi, servabam te mihi. Ut adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset: ego feci. Locus & tempus defuit, ut deesset ego feci. Agnosce ergò gratiam.* (*Hìc quæst.* 110.) Ad hanc speciem potest reduci amor, quo nos Deus ab æterno dilexit in ordine ad beatitudinem; & dicitur gratia incerta, ex qua in tempore effluunt omnes gratiæ creatæ. De qua gratia incerta abundè dixi Tract. de Deo, Dissert. de voluntate Dei & de prædestinatione; nùnc autèm agitur de gratia certa. Gratia interna est, quæ hominem intrinsecè afficit, sive hærendo, ut gratia habitualis & virtutes infusæ; sive interiùs movendo, ut sunt gratia actuales intellectûs & voluntatis.

2. (*Hìc quæst.* 111. *art.* 1. *o.*) Gratia interna dividitur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem: non quòd gratia gratum, faciens non sit etiàm gratis data, sed quia cùm primum membrum careat proprio nomine, illi ut ignobiliori tribuitur nomen generis, sicùt brutum dicitur animal. Gratia gratis data est, quæ per se primò ordinatur ad salutem aliorum; & definitur donum Dei gratis collatum ad procurandam aliorum salutem; juxtà illud 1. Cor. 12. *Datur unicuique manifestatio spiritûs ad utilitatem*, scilicèt aliorum. Gratia gratum faciens est, quæ per se primò ordinatur ad salutem recipientis; & definiri potest donum gratuitum, quo homo justus & acceptus Deo constituitur. Dixi de utraque *per se primò*; quia & gratia gratis data potest secundariò conducere ad salutem recipientis, si benè, id est, ex charitate Dei & proximi, ea utatur; & gratia gratum faciens potest etiam secundariò conducere ad salutem aliorum per exempla virtutum; sed neuter iste finis est primarius.

Gratiæ gratis datæ enumerantur novem species ab Apost. loco cit. Cor. scilicèt Sermo sapientiæ, Sermo scientiæ, Fides, Gratia sanitatum, Operatio virtutum, Prophetiæ donum, Discretio spirituum, Genera linguarum, Interpretatio sermonum. (*Ibid. art.* 4. *o.*) Hanc gratiæ gratis datæ divisionem esse bonam & sufficientem, probat Auctor hoc eleganti discursu: Gratia gratis data ordinatur ad ædificationem corporis Ecclesiæ & aliorum salutem, non quidèm interiùs movendo, hoc enim solius Dei est proprium; sed exteriùs docendo & persuadendo; atqui ad hoc tria requiruntur: 1. quòd homo sit sortitus plenitudinem cognitionis divinorum, ut ex hoc alios possit instruere: 2. ut possit confirmare & probare, quæ dicit; aliàs non esset efficax ejus doctrina: 3. ut ea, quæ concipit, possit auditoribus convenientèr proferre.

Quantum ad 1. tria sunt necesaria, sicùt etiàm patet in magisterio humano; oportet enim, quòd ille qui debet alium instruere in aliqua scientia, 1. ut principia illius scientiæ sint ei certissima, & quantùm ad hoc ponitur Fides. 2. Oportet, quòd doctor rectè se habeat circà principales conclusiones scientiæ; & sic ponitur Sermo sapientiæ, cujus est ex altioribus principiis concludere. 3. Oportet, ut abundet exemplis & cognitione effectuum naturalium, quia invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; & quantùm ad hoc ponitur Sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum. Quantùm ad 2. confirmatio & probatio rerum fidei per argumenta fieri non potest, quia excedunt rationem; undè adhiberi debent, quæ sunt divinæ virtuti propria, & hoc duplicitèr: uno modo faciendo, quæ sola Dei virtus efficere potest in operibus miraculosis, sive particulariùs ad salutem corporum, & ad hoc ponitur Gratia sanitatum; sive generaliùs operando supra totius naturæ ordinem ad divinæ potestatis manifestationem, sicùt quòd sol stet, aut tenebrescat, &c. & ad hoc ponitur Operatio virtutum. Secundo modo ea cognoscendo & revelando, quæ solus Deus cognoscere potest; & hæc sunt vel futura contingentia, & ad hoc ponitur Prophetia, vel occulta cordium, & ad hoc ponitur Discretio spirituum. Quantùm ad 3. scilicèt facultatem convenientèr proponendi conceptus suos de rebus fidei, duo requiruntur: 1. ut, qui docet, calleat linguam illorum, quos instruit, & ad hoc ponitur donum linguarum: 2. ut sensùm verbi Dei, qui quandoquè est occultus, explicet, & ad hoc ponitur Interpretatio sermonum: ergo.

Dices 1. Fides est virtus Theologica, Sapientia & Scientia numerantur inter dona Spiritûs S. atqui hæc pertinent ad gratiam gratum facientem: ergo. 2. Operatio virtutum, seu miraculorum, continent sub se gratiam sanitatum: ergo non debent distingui. 3. Character sacerdotalis, jurisdictio in foro interno assistentia Spiritûs S. data Ecclesiæ & SS. Pontifici, sunt gratiæ gratis datæ, & tamèn non continentur in prædicta divisione: ergo non est adæquata. R. ad 1. Fidem hìc non sumi pro virtute Theologica, qua simplicitèr credimus ea, quæ Deus revelat, sed pro speciali intelligentia & eminenti certitudine, quæ mentem interiùs firmat circà principia fidei, & quæ exteriùs in verbis se manifestans ipsis conciliat auctoritatem, ut sint efficacia ad alios instruendos & confirmandos in fide. Sapientia & Scientia sunt dona Spiritûs S. & pertinent ad gratiam gratum facientem, quatenùs reddunt hominem aptum, ut ad propriam utilitatem moveatur a Spiritu S. circà veritates fidei. At Sermo sapientiæ & scientiæ important habilitatem ad explicanda mysteria Fidei, proùt expedit ad aliorum utilitatem; quæ facultas non est in omnibus justis, nec spectat habentis utilitatem, & ideò pertinet ad gratiam gratis datam. Ad 2. quamvis gratia sanitatum & operatio virtutum, seu miraculorum, sint inter se affines, differunt tamèn; tùm quia sæpè separantur; tùm quia in gratia sanitatum relucet præcipuè Dei benignitas ergà miseriam hominis, in operatione autèm virtutum relucet magis omnipotentia Dei toti naturæ imperans; tûm quia gratia sanitatum allicit ad fidem per modum beneficii, operatio virtutum per modum prodigii; & his de causis Apostolus posuit ut gratias distinctas. Ad 3. Character sacerdotalis, Jurisdictio in foro interno, & specialis assistentia Spiritûs S. Ecclesiæ concessa, non pertinent ad gratias gratis datas, sed ad ministrationem & operationem, quas Apost. ibidèm distinguit a gratiis gratis datis: *Divisiones gratiarum sunt*, inquit, *idem autem spiritus: divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus.* (*in c.* 12. 1. *Cor. lect.* 1.) Hæc autèm distinguntur, quatenùs gratia gratis data solùm importat actum manifestativum fidei: ministratio verò, seu ministerium dicit auctoritatem exercendi aliquem actum, in ordine ad alios, ut Apostolatus, Episcopatus, Presbyteratus, & quæcumque prælatio. Operatio autèm est executio ministerii.

Si petas, quæ gratia sit excellentior, an gratis data, àn gratum faciens? R. gratiam gratum facientem esse excellentiorem. (*Hìc art.* 5. *o.*) Tùm quia Apost. c. 12. cit. 1. Cor. pòst enumeratas gratias gratis datas dicit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: &, ut patet ex seq. loquitur de charitate, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem. Tùm quia gratia gratum faciens immediatè conjungit Deo hominem, cui inest: Gratia verò gratis data deservit tantùm, ut alii disponantur ad conjunctionem cum Deo.

3. Gratia gratum faciens dividitur in habitualem & actualem. Habitualis duplex: Una formaliter sanctificans, & est gratia habitualis residens in essentia animæ, ut dictum est. Altera est sanctificans completè, & sunt virtutes infusæ. Gratia actualis est, quæ concurrit efficientèr ad justificationem, quatenùs per eam Deus movet ad vitam piè instituendam, & ad opera salutaria efficienda, quibus vel disponimur ad gratiam habitualem, vel eam conservamus, vel ejus augmentum meremur. De gratia actuali quædam scitu necessaria dixi art. 1. Dissert. 3. Relege.

4. Gratia actualis dividitur in operantem & cooperantem. (*Ibid. art. 2. o.*) Hæc divisio fundatur in Scriptura, Conciliis, & Patribus. Scriptura duo tribuit gratiæ: Primum, quòd operatur aliquid in nobis, præviniendo operationem nostram; Act. 16. *Aperuit cor Lydiæ purpurariæ intendere his, quæ dicebantur a Paulo*, & Philipp. 1. *Operatur velle.* Secundum, quòd nobiscum jam operantibus cooperetur, 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum*, & Marc. 16. *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante.* Conc. Arausic. 2. Can. 9. *Quotiès bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur.* Quibus verbis utraque gratia operans & cooperans significatur. Et Can. 20. *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo.* (En gratia operans, proùt explicabitur infrà) *Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstat, ut faciat homo.* En gratia cooperans. Aug. libr. de grat. & lib. arb. c. 17. a quo Theologi hanc divisionem sumpserunt: *Cooperando Deus*, inquit, *in nobis perficit, quod operando incepit: quia ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.....Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autèm volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur.* Greg. l. 16. moral. c. 10. *Superna pietas priùs agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agat nobiscum.*

Sic autèm Auctor (*Ibid.*) hanc divisionem intelligit & explicat: Operatio alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi: in illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota & non movens, solus autèm Deus movens, operatio Deo tribuitur, & secundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autèm effectu, in quo mens nostra & movet & movetur, operatio non solùm tribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundùm hoc dicitur gratia cooperans. Deindè docet, quòd respectu primi actûs voluntatis, quo incipit bonum velle, sive sit primus simplicitèr, sive in aliquo particulari negotio, de quo non cogitabat, aut cùm priùs malum volebat, voluntas nostra sit mota, & non se movens, consequentèr respectu primi illius actûs ditatur gratia operans, respectu autem aliorum actuum a voluntate operatorum ex illo primo actu, voluntas sit movens, & mota; & ideò respectu illorum dicitur gratia cooperans. Et quia ille primus actus est principium ad alios, vocat illum interiorem; actum autèm ab illo causatum vocat exteriorem, quasi extrà illum priorem.

Difficultas superest, quomodò voluntas se habeat ad illum actum primum, seu interiorem, qui est effectus gratiæ operantis?

Et 1. Certum est, quòd non se habeat passivè, est enim vitalis volitio boni, consequentèr actus elicitus à voluntate. Hoc supposito quidam existimant, quòd voluntas non se habeat liberè ad illum effectum gratiæ operantis, ideòque quòd ista prima volitio finis sit actus indeliberatus, quo voluntas posita in actu se moveat deliberatè ad alios actus, & etiàm, cùm sit reflexiva suprà seipsam, ad hunc primum suum actum admittendum, vel rejiciendum, respectu quorum actuum sequentium dicitur gratia cooperans. Undè illud dictum Concilii & Patrum, *Deus sine nobis operatur, ut velimus*, intelligunt, sine nobis liberè operantibus. Alii putant, hanc primam volitionem boni supernaturalis, quæ est effectus gratiæ operantis, esse liberam; quia, inquiunt, ad hoc, quòd voluntas liberè agat, non est necesse, quòd ex præcedenti actu se moveat, sed sufficit, quòd objectum proponatur sub indifferentia judicii; tùnc enim intervenit virtualis deliberatio. Confer, quæ dixi Dissert. 3. de Act. hum. art. 3. & Tract. de Angel. Dissert. 4. art. 6. Dissert. 5. art. 4. Idque aliundè videtur conforme Auctori, qui hìc art. 2. o. loquens de gratia, quæ dividitur in operantem & cooperantem, dicit esse auxilium, quo *Deus nos movet ad benè volendum & agendum.* Benè velle autèm est liberè velle, quia volitio necessaria neque bona est, neque mala, cùm non sit moralis. Et infrà quæst. 113. art. 3. o. dicit, quòd in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non sit motio a Deo ad justitiam absquè motu liberi arbitrii. Juxtà hanc sententiam illud dictum *sine nobis* intelligitur sine nobis nos moventibus, & illud Gregorii, *ut subsequente nostro libero arbitrio*, &c. intelligitur de libero arbitrio se movente. Utraque sententia potest sustineri.

Quæ hìc usquè dixi de præsenti divisione gratiæ in operante & cooperantem, spectant gratiam actualem. Observa autem S. Thom. (*Ibid.*) hanc divisionem etiam pertinere ad gratiam habitualem ratione diversorum officiorum. Ut enim exercet rationem causæ formalis sanando & justificando, dicitur gratia operans; ut autèm est principium radicale actûs meritorii in genere causæ efficientis, mediantibus scilicèt virtutibus infusis, dicitur gratia cooperans.

5. dividitur (*Ibid. art. 3. o.*) gratia in prævenientem & subsequentem, juxtà illud Ps. 58. *Misericordia ejus præveniet me*, & Ps. 21. *Misericordia ejus subsequetur me.* Undè orat Ecclesia: *Tua nos gratia & præveniat, & sequatur.* Hanc divisionem exponit hìc Auctor. (*Ibid.*) per ordinem ad effectus priores & posteriores. Sunt enim quinque effectus gratiæ in nobis, quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius, ut bonum, quod vult, efficacitèr operetur; quartus, ut in bono perseveret; quintus, ut ad gloriam perveniat. Igitùr gratia secundùm quòd causat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu secundi effectûs; & proùt causat secundum, vocatur subsequens respectu primi, & sic de cæteris.

Alio modo (*Q. 27. de verit. art. 5. ad 6.*) potest intelligi gratia præveniens & subsequens respectivè ad hominem, quem movet; ità ut dicatur gratia præveniens, quæ facit, ut homo benè velit; subsequens, quæ facit, ut homo exequatur bonum, quod volebat: *Nolentem prævenit, ut velit*, inquit Aug. Ench. c. 32. *volentem subsequitur, ne frustrà velit.* Nota tamèn, omnem gratiam esse hoc sensu prævenientem, quòd Deus in omni bona volitione & omni bono opere priùs prioritate causalitatis operetur, quàm nostra voluntas. Quidquid enim boni volumus, ipse facit, ut velimus, & quidquid boni facimus, ipse facit, ut faciamus, ut perpetuò docet Aug. Undè nunquam potest dici gratia subsequens, quasi sequatur opera naturæ ut conatus naturales, vel in aliquo opere sit posterior libero arbitrio; id namquè pertinet ad errorem Pelagii, ut constat ex præcedentibus. Sed, ut dictum est, dicitur subsequens, vel quia sequitur aliam gratiam, seu alium gratiæ effectum, vel quia datur ad exequendum, quod per gratiam prævenientem est volitum.

6. Gratia dividitur a quibusdam in excitantem & adjuvantem. Excitans dicitur, quæ a somno peccati ad pœnitentiam nos movet; adjuvans, quæ jam excitatos & de nolentibus volentes factos adjùvat ad perficiendum, quod volebamus. Sed, ut patet, excitans reduci potest ad operantem & prævenientem; adjuvans ad cooperantem & subsequentem.

7. Tandèm dividitur gratia in sufficientem & efficacem. Sufficiens ad aliquid dicitur duplicitèr. 1. Simplicitèr & ex omni parte, ità ut nihil aliud requiratur in quovis alio genere; 2. Secundùm quid & in certo genere, ita ut nihil ulterius requiratur in isto genere, licèt aliquid aliud requiratur in alio genere, ut fusiùs explicabitur infrà. Per gratiam sufficientem hìc non intelligimus eam, quæ simplicitèr & ex omni parte sufficit; sed eam, quæ in suo genere, hoc est, in ratione potentiæ agendi sufficit: per gratiam autèm efficacem intelligimus eam, quæ hanc potentiam applicat ad actum. Huic notioni conveniunt variæ definitiones, quæ de utraque circunferuntur. Gratia sufficiens est, quæ confert facultatem benè agendi; efficax, quæ præbet bonum usum hujus facultatis. Itèm gratia sufficiens est, quæ dat bonum posse, si velimus; efficax, quæ facit, ut velimus. Itèm gratia sufficiens est gratia possibilitatis; efficax gratia actionis. Et tandèm juxtà Aug. gratia sufficiens est auxilium *Sine quo non*; gratia efficax auxilium *quo.* Omnes coincidunt. Hæc est celeberrima gratiæ divisio, circà quam moventur gravissimæ difficultates, quas in seq. articulis elucidare conabimur. Sed antè omnia propono, quot & quæ sint opiniones, seu systemata circa illam. Undè sit

ARTICULUS II.

Varia Systemata circà gratiam sufficientem & efficacem.

Quænam fuerint systemata Pelagianorum & Semi-Pelag. circà necessitatem, naturam, & proprietates utriusque gratiæ, exposuimus Dissert. 1. præambula hujus Tractatûs de Lutheranismo & Calvinismo circà eamdem materiam dixi Tract. de Deo Dissert. 8. art. 8. §. 4. Itèm de Prædestinatianismo dixi ibid. Digress. Histor. ad Dissert. 9. Quapropter tria hìc tantùm systemata proponam, scilicèt Jansenii, Thomistarum, & Theologorum Soc. Jesu; ad quæ cætera possunt reduci.

§. I. *Systema Jansenii.*

I. Radix, undè profluit tota hæresis Jansenii, est distinctio, quam finxit inter statum innocentiæ, & statum naturæ lapsæ, in eo sitam, quòd in statu naturæ innocentis non essent nisi gratiæ sufficientes pendentes a voluntate Adami; in statu autèm naturæ lapsæ non sint nisi gratiæ efficaces absolutè dominantes hominis voluntati. Ità Jansenius in toto suo opere, præsertim libr. de grat. primi hominis c. 14. & l. 2. de gratia Salvatoris c. 1. 2. 3. & 4.

II. Ex hoc falso principio non agnoscit aliam causam necessitatis gratiæ efficacis pro hoc præsenti statu, quam infirmitatem naturæ vulneratæ, & corruptæ per peccatum: *Totum ergo fundamentum gratiæ medicinalis Christi*, inquit, Tom. 3. l. 8. c. 2. *funditus evertitur, dùm gratiæ necessitas, non ex vulnere voluntatis, sed ex naturali ejus indifferentia, & omnium causarum naturali subordinatione sub altiore suspenditur.*

III. Hæc gratia juxta Jansenium nihil est aliud, quàm delectatio spiritualis, seu motus indeliberatus delectationis cœlestis, quæ nos movet ad bonum, sicùt cupiditas est motus indeliberatus delectationis terrenæ, quæ nos movet ad malum. Ità Jansenius l. 4. de grat. Christi c. 1. 2. 3. 4. & seq.

IV. Si delectatio cœlestis sit gradu aliquo superior cupiditate, gratia fit victrix, & nos rapit necessariò ad bonum. Si e contrà delectatio terrena sit superior, cupiditas fit paritèr victrix, nosque necessariò rapit ad malum; sicùt majus pondus in bilance necessariò elevat minùs: tùm quia, ut centiès repetit Jansenius, secundùm id, quòd magis delectat, necesse est, ut operemur; tùm quia juxta ipsum hæc delectatio relativè victrix sive gratiæ, sive cupiditatis, diametralitèr opponitur indifferentiæ agendi, vel non agendi: *Vigente delectatione carnali*, inquit l. 4. de grat. Chr. c. 9. *impossibile est, ut virtutis, ac honestatis consideratio prævaleat.* Et c. 14. *Effectus igitùr gratiæ est, delectando voluntatem facere, ut actu velit, et faciat... et ità diametralitèr repugnat philosophicæ libertati, seu indifferentiæ libertatis.* Neque tamèn id obstat, inquit, quin homo sit liber, & mereatur in electione boni, vel mali; quia juxta ipsum hæc indifferentia agendi, & non agendi non est essentialis libertati; cum enim in ejus principiis libertas nihil sit aliud, quàm voluntas, hoc ipso quo vult, est libera; ità ut sola coactio, non necessitas saltèm mutabilis, repugnet libertati. Ità Jansenius libr. 6. de grat. Chr. a cap. 6. ad 38.

Dixi: *Necessitas, saltèm mutabilis*; quia Jansenius distinguit duplicem necessitatem; unam fixam, & immutabilem, quæ in nullis circumstantiis vinci potest; talis est necessitas, qua Deus seipsum diligit, qua generat Filium, qua Beati Deum diligunt. Hanc necessitatem dicit repugnare, non quidèm libertati essentiali, sed libertati statûs viatoris. Altera est necessitas mutabilis, transitoria, relativa, quæ stantibus præsentibus circumstantiis relativè ad vim oppositam superiorem vinci non potest, licèt absolutè, & in aliis circumstantiis vinci possit. Sic a terrena delectatione superante cœlestem movetur ad malum necessariò necessitate mutabili, & relativa; quia, licèt stante hac superioritate delectationis vinci non possit a gratia, potest tamèn absolutè vinci, si nempè delectatio cœlestis evadat superior. Et hanc necessitatem contendit Jansenius non repugnare libertati hominis in hac vita, sed stare cum illa, nec impedire, quin benè, aut malè agat, mereatur, aut demereatur; ità ut tota libertas hujus statûs sita sit juxtà Jansenium in vertibilitate de una ad alteram necessitatem, subalternante delectatione terrena, vel cœlesti. Et in hoc potissimùm situm est virus Hæresis Jansenianæ. Pro quo vide, quæ dixi in Tract. de Act. hum. Dissert. 2. art. 1. §. 2. art. 2. 3. & 4. sed præsertim in Digressione histor. ad calcem ejusdem Dissert. 2. ibi enim hæc latè exposuimus ex ipso Jansenio, & impugnavimus.

V. Ex eadem radice, seu posito primo principio contendit, voluntatem antecedentem in Deo salvandi omnes homines, quam vocat *primam, & bonitatis*, non fuisse nisi pro statu innocentiæ, & non pro statu naturæ lapsæ, pro quo agnoscit tantùm voluntatem consequentem, quam vocat *secundam, & justitiæ.* Ità l. 3. de grat. Salvat. c. 20. undè infert, quòd vi hujus voluntatis antecedentis Adam quidèm receperit gratias sufficientes, sed quòd nùnc sit sterilis erga homines lapsos, nec ex illa eis obveniat ulla gratia, nequidèm mors Christi pro omnibus. *Postquàm*, inquit libr. cit. c. 29. *Peccata jam ab hominibus inducta considerantur, antecedens voluntas in sola præcisione mentis, adeoquè nuda quadam velleitate, nihil gratiæ causante, consentire potest.* Quantùm ad mortem Christi ibid. cap. seq. & ultimo.

VI. Attamèn non negat Jansenius, dari in hoc statu naturæ lapsæ parvas gratias, quæ hominem utcumquè moveant ad bonum, quæ illius desideria imperfecta in eo excitent, & quibus resistit. Verùm (& id diligentissimè notandum est) hæ parvæ gratiæ juxtà Jansenium, & in ejus systemate, nec sunt, nec esse possunt sufficientes. Quod palàm evinco.

Duplici sensu gratia dicitur sufficiens. 1. Quia sufficit in omni genere, & modo, ità ut præter illam ad agendum actualitèr nihil aliud requiratur ex parte Dei; sed eam voluntas pro nutu consentiendo, vel dissentiendo reddat efficacem, vel inefficacem: & ita Jansenius intelligit gratiam sufficientem, nec ullam aliam agnoscit, quæ debeat vocari hoc nomine. Hujusmodi autèm gratia sufficiens, juxta ipsum, ut vidimus, est propria soli statui naturæ sanæ, & integræ: ergo parvæ gratiæ, quas agnoscit pro hoc præsenti statu, non sunt hoc, & suo sensu sufficientes.

* Alio sensu gratia dicitur sufficiens, quæ sufficit in suo genere, hoc est, quæ dat posse sufficiens, & expeditum, sed ultrà quam ad actu agendum requiritur altera ex parte Dei. Sic Thomistæ intelligunt gratiam sufficientem: sed neque hoc sensu parvæ gratiæ Jansenii sunt sufficientes; quia, ut dixi, juxtà ipsum vis gratiæ est relativa ad cupiditatem, ita ut si cupiditate sit inferior, sicùt reipsa sunt istæ parvæ gratiæ, non dat verum, & expeditum posse ad superandam cupiditatem superiorem; sicùt pondus quatuor librarum in bilance non potest verè, & expeditè elevare pondus decem librarum; sed remanet in vera impotentia vincendi hanc cupiditatem, quamdiù est superior, & hac cupiditate victrici homo necessario rapitur in malum, quia secundùm id, quod magis delectat, necesse est ut operemur. Undè Jansenius non agnoscit pro hoc statu aliam gratiam sufficientem, quam efficacem, quæ dando agere, det simùl posse, quin imò det posse, quia dat agere, ut fusè probavi in ipsa Digressione cit. ità ut juxta ipsum tàm impossibile sit homini absquè hac gratia victrice benè agere, quàm impossibile sit cæco videre in luce meridiana, surdo audire inter fragores, vel facto tibiis rectè gradi. Sunt ejus verba, & exempla l. 3. de grat. Chr. c. 30. *Cujus medicinali gratia, & adjutorio*, inquit, *nisi vires pristinæ restaurentur, tàm esse impossibile voluntati, ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco, ut videat, vel surdo, ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, quantumvis eis, et lux, et species, et scipiones, et omnia cætera sanitatis adjumenta suppetant.*

Ulteriùs hæ parvæ gratiæ, quas admittit Jansenius, juxta ipsum non conferuntur a Deo nisi ad hunc effectum, quem reipsa operantur, ità ut intentione Dei ad hoc solum dentur, ut imperfectè hominem moveant ad bonum, ut illius aliquam velleitatem, seu complacentiam excitent, non ut reipsa faciat, se convertat, & salvetur: alioquin deberet agnoscere in Deo pro hoc statu sinceram voluntatem salvandi omnes, ex qua hæ gratiæ salutis profluerent; quam tamèn negat, ut vidimus.

Evidens est itaquè, parvas gratias, quas admittit Jansenius, non dare verum, sufficiens, & expeditum posse agendi bonum, legem implendi, se convertendi, &c. ideoquè non esse sufficientes sensu Thomistico. Undè l. 3. de grat. Salvat. c. 3. habet gratiam thomisticè sufficientem tanquàm absurditatem, & monstrum, ad multiplicanda peccata, & faciliùs, rigorosiusquè damnandos homines excogitatum. *Itaquè*, inquit, *illud a Recentioribus gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquàm opus factum est, aut fiet unquàm, si est verum, distinctumque a gratia efficace membrum, videtur monstrum quoddam singulare gratiæ, solummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accersendæ serviens, ideoquè lapsis hominibus citrà Dei invidiam damnandis excogitatum.*

Ex his facilè detegere poteris fraudes, cavillationes, subterfugia, quæ solent adhibere Janseniani, ut & Jansenium ab errore excusent, & seipsos a censuris Ecclesiæ subducant. Dicunt enim 1. Jansenium agnoscere passim in homine lapso libertatem arbitrii. 2. Libr. 6. de grat. Chr. c. 34., & libr. 8. c. 20. agnoscit indifferentiam contrarietatis, & contradictionis. 3. Ibid. admittit sub cupiditate dominante veram potentiam ad benè agendum, & sub gratia victrice veram potentiam ad peccandum.

Equidèm Jansenius agnoscit in homine lapso libertatem arbitrii nomine, non re. Reponit enim libertatem arbitrii in homine lapso in solo voluntario cum perfecta advertentia rationis, seu in immunitate a coactione, & a necessitate immutabili, non a necessitate mutabili, ut dictum est. Vide Dissert. 2. de Act. hum. art. 3. & 4. Agnoscit indifferentiam contrarietatis, & contradictionis, non quæ sit vera potentia activa ad agendum, vel non agendum, ad agendum bonum, vel malum, sed quæ sit mera flexibilitas in bonum, vel malum per delectationem gratiæ, & concupiscentiæ, alternatim voluntatem captivantis, & necessitantis. Vide Digress. cit. in fine Dissert. 2. de Act. hum. Agnoscit tandem sub cupiditate dominante veram potentiam benè agendi, & sub gratia victrici veram potentiam peccandi, potentiam scilicèt absolutam, & abstractam, non relativam ad delectationem superiorem dominantem; vel potentiam in sensu diviso delectationis dominantis, non in sensu ejus com-

alteri in iis circumstantiis, in quibus prævidit eum non consensurum. Hinc fit, quòd hæc gratia congrua, juxtà suos assertores, sit majus beneficium, quàm gratia incongrua; & ab hac distinguatur, non solùm quantùm ad actum secundum, & per consensum creaturæ, sed etiàm quantùm ad actum primum, & ex parte Dei.Ità fert laudatum decretum Generalis Claudii Aquaviva his verbis: *Statuimus: & mandamus, ut in tradenda divinæ gratiæ efficacitate... nostri in posterum omninò doceant, inter eam gratiam, quæ effectum reipsa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam sufficientem nominant, non tantùm discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii, etiàm cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non itèm, sed in ipso actu primo; quòd posita scientia conditionalium, ex Dei proposito atque intentione efficiendi certissimè in nobis boni, de industria ipse ea media selegit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibilitèr habitura, aliis usurus, si hæc inefficacia prævidisset. Quare sempèr moralitèr, & in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quàm insufficienti gratia, & in actu primo contineri: atque hac ratione efficere Deum, ut reipsa faciamus, non tantùm quia dat gratiam, qua facere possimus. Quod idem dicendum est de perseverantia, quæ procùl dubio donum Dei est.*

Septima Congregatio generalis ann. 1616. in qua Mutius Vitellescus fuit electus Præpositus generalis hoc Aquaviva decretum confirmavit, & explicavit transmissoriis Epist. datis 7. Junii ejusdem anni. *Cùm difficultas aliqua*, scribebat Congregatio, *inter viros doctos supèr decreto R. P. N. piæ memoriæ ann.* 1613. *Decembris* 14. *de efficacia gratiæ nata esset, variis variè id interpretantibus; R. P. Præpositus generalis, & qui tùnc Assistentes erant, & Secretarius, qui decreto illi præsentes interfuerant, & mentem R. P. Claudii probè perspectam habebant; itèmque Patres ad id a Congreg. generali deputati, censuerunt non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, Deum sua voluntate prædeterminasse, seu prædefiniisse aliquod opus nostrum bonum independentèr a cooperatione liberæ nostræ voluntatis; nec etiàm quòd in gratia efficaci sit aliqua entitas realis, aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficienti; sed hoc tantùm, quòd fuerit speciale beneficium Dei, v. gr. Petro, ex proposito boni in eo faciendi, dare gratiam eo tempore, & loco, quo scientiam conditionalium præscivit illum ea gratia benè usurum; quod beneficium non contulit alteri, v. gr. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore, & loco, quo præscivit illum sua culpa ea non usurum.*

VII. Scio quidèm, non omnes Societ. Theologos huic systemati scrupulosè hærere, sed quosdam ad systema Molinæ, & Lesii redire; ipsi viderint. ego propono systema, quod est, aut saltèm esse debet proprium Societati juxtà suas leges, & quod reverà communiùs in ea recipitur, & defenditur; neque video sat fundatum, quòd dicit Jacobus Platel recens Societ. Script. cap. 4. de voluntate Dei n. 174. Claudium Aquaviva posteà dispensasse in suo Decreto, & liberum reliquisse suis Patribus, utramvis sententiam eligere; si quidèm hoc Claudii Decretum fuerit posteà confirmatum in 7. Congregatione, ut vidimus; itèm & in 9. ann. 1651. sub Generali Picolominio, ubi in statutis de ratione studiorum ad universas Provincias directis sic sancitur: *In materia de efficacia gratiæ servetur decretum P. Claudii Aquaviva, conditum* 14. *Decembris* 1613.

VIII. Cæterùm in hoc conveniunt omnes Societ. Theologi, quòd non repetant efficaciam infallibilem gratiæ ex ejus intrinsecis, seu ex omnipotentissima Dei voluntate bonum actum decernente, & determinante, sed puri Molinistæ eam repetunt ex consensu creaturæ, scilicèt ideò gratiam esse efficacem, quia illi consentit voluntas; Congruistæ ex ejus congruitate, & præscientia. Verùm, cùm neque congruitas, neque præscientia ullam vim intrinsecam conferant gratiæ, & fateantur ipsi Congruistæ nihil reale, aut physicum habere, quod non habeat, gratia incongrua, & sufficiens; palàm est, in eorum systemate hanc efficaciam infallibilem gratiæ etiàm haberi, & repetendam esse ex consensu voluntatis, ut in systemate Molinæ; atque in hoc tantùm ab illo discrepare, quòd ipsi, scilicèt Congruistæ, dicunt Deum ex speciali benevolentia atque intentione boni operis in nobis efficiendi nos constituere in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidit nos concursui indifferenti oblato ex innata libertate consensuros; quam specialem benevolentiam non requirunt, nec agnoscunt puri Molinistæ, sed dicunt Deum æquali, & generali voluntate gratiam omnibus offerre, quam quilibet pro innata libertate reddit efficacem, vel inefficacem. Confer Tract. de Deo Dissert. 8. art. 3. §. 4.

Mantissa.

CIrca hæc duo præfata systemata observandum est 1. Theologos, qui dicuntur Augustiniani, quantùm ad statum naturæ integræ consentire puris Molinistis, Thomistis verò quantùm ad statum naturæ lapsæ; excepto quòd necessitatem gratiæ per se efficacis repetant ex sola infirmitate naturæ, Thomistæ eam insupèr repetant ex dependentia causæ secundæ a causa prima, & ex ejus indifferentia.

Observandum 2. Omnes Theologos, qui systema, vel Molinæ, vel Congruistarum, seu scientiam mediam non admittunt, stare pro systemate gratiæ per se efficacis quoad substantiam; dissentire autèm inter se dumtaxàt, quoad modum explicandi hanc efficaciam. Quidam enim eam explicant per sympathiam, quidam per motiones morales, quidam per delectationem, quidam per actus indeliberatos, quidam per solum divinum decretum, quidam per multiplicationem auxiliorum, quidam tandèm per præmotionem physicam, & ità Scholæ nostræ.

Observandum 3. esse aliud singulare systema, olim propugnatum ab Alphonso Le-Moine, & nostris temporalibus ab Honor. Tournely suscitatum, de gratia sufficienti sensu Moliniano ad facilia opera, præsertim ad Orationem: quasi verò Oratio Christiana omnibus suis conditionibus stipata, qualis debet esse, ut sit impetratoria, non sit opus difficile, & præstantissimum salutis, possitque subtrahi dignationi gratiæ. Hoc ergo systema revocari debet ad Molinismum, iisdemque argumentis impugnatur, ut patebit ex infrà dicendis.

ARTICULUS III.

Utrùm detur in hoc statu naturæ lapsæ gratia sufficiens?

DIco: Pretèr gratiam efficacem datur in statu naturæ lapsæ gratia sufficiens. Est contrà Jansenium, ut vidimus in ejus systemate, nec videtur salva fide posse negari. Prob. 1. Gratia sufficiens est, quæ dat posse facere bonum salutare etiàm in iis, qui illud non faciunt, seu quæ dat facultatem sancti operis, sed effectu carentem culpa voluntatis creatæ; atqui datur hujusmodi gratia in statu naturæ lapsæ: ergo. Major est notio gratiæ sufficientis, proùt eam intelligimus. Prob. Min. multiplicitèr. 1. Ex Script. Isai. 5. dicit Deus: *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Prov. 1. *Vocavi, & renuistis.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, et pulso, si quis mihi aperuerit, intrabo ad illum.* Act. 7. Stephanus alloquens Judæos: *Dura cervice*, inquit, *et incircumcisis cordibus, vos sempèr Spiritui S. resistitis.* 1. Thessal. 5. *Nolite Spiritum extinguere.* 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* His omnibus constat plures gratiæ deesse, illi resistere, illam extinguere, eam in vacuum recipere. Talis autèm gratia non est efficax, sed sufficiens: ergo. Dùm verò respondet Jansenius l. 2. de grat. Christ. c. 32. Hæc omnia intelligi debere de gratia externa, non interna, non recordatur se alibi agnoscere gratias internas, tametsi parvas, & insufficientes. Insupèr proprius effectus Spiritûs S. est gratia interior. Undè. S. Thom. in c. 5. 1. Thessal. lect. 2. dicit, quòd extinguere Spiritum S. & ipsi resistere, sit repellere bonum pietatis motum. Itèm, si Deus vineæ suæ, hoc est creaturæ rationali, contulisset auxilia exteriora tantùm, nullum interius, non ei fecisset totum, quod debuisset facere, ut expectaret uvas.

Prob. 2. eadem Min. argumento peremptorio, deducto ex definitionibus Ecclesiæ. De fide est, mandata Dei esse possibilia justis, qui tamèn illa non implent, ut definitum est a Concil. Trid. Sess. 6. c. 11. & can. 18. & a SS. Pontificibus in condemnatione 1. propositionis Jansenii: ergo datur eis gratia, qua possibilia fiant; non enim eis sunt possibilia viribus naturæ, præsertim cùm inter ea sint supernaturalia; & hæc gratia non est efficax; quia, ut suppono, ea non implent: ergo sufficiens.

Prob. 3. eadem Min. ex SS. Aug. & Thom. Augustinus libr. de nat. & grat. c. 43. docet, Deum non præcipere impossibilia: ergo supponit dari gratiam, qua possibilia fiant, etiàm in iis, qui ea non servant: ergo gratiam sufficientem. Toto libro de grat. Christ. observat hæc tria a Pelagio distincta, possibilitatem, voluntatem, & actionem, & c. 47. dicit: *Si consenserit nobis Pelagius non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoquè voluntatem, et actionem... divinitùs adjuvari.. nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Quamvis enim Pelagius reponeret possibilitatem in natura, fatebatur tamèn eam gratia adjuvari, & hoc in eo probat Aug. ergo agnoscit S. Doct. gratiam possibilitatis, seu sufficientem, distinctam a gratia voluntatis, & actionis, seu efficaci. Libr. de corrept. & grat. c. 7. refellens excusationem eorum, qui dicunt, non perseveravimus, quia perseverantiam non habuimus, dicit: *Homo in eo, quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles.* Et libr. de nat. & grat. c. 67. refellens itidèm eos, qui peccatis excusationem obtendunt, dicit: *Rectè fortassè quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò* (Deus) *ubiquè sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum avocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non sibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* S. Thom. 1. 2. q. 106. art. 2. ad 1. *Gratia novi testamenti*, inquit, *etsi hominem adjuvet ad non peccandum, non tamèn ideò confirmat in bono ut peccare non possit; & ideò, siquis pòst acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tanquàm auxilio sibi dato non utens: nova lex enim, quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Itèm in c. 3. Ephes. 2. hìc q. 109. art. 1. 2. 9. & 10. textus infrà referam. Omitto alios Patres, ne in re tàm aperta sim prolixior.

Prob. 2. Conclusio ab absurdo: Si non daretur homini justo gratia, qua possit facere bonum, quod non facit, sequeretur, quòd nhil boni facere posset pretèr illud, quod reipsa facit; si enim adsit gratia efficax, illud facit; si absit, non potest illud facere; atqui absurdum Consequens: ergo. Prob. Min. Quis enim credat justum, qui difficillima virtutum opera facit, v. gr. inimicos diligit, urgentissimas tentationes superat, flagella, & alia suplicia sustinet pro fide, non posse observare facilè mandatum supernaturale, quod transgreditur? ergo. His omnibus adde hanc secundam Jansenii propositionem damnatam: *Interiori gratiæ nunquàm resistitur*: ergo datur gratia interior, quæ non est efficax, sed sufficiens tantùm.

Solvuntur Objectiones.

OBjiciunt 1. Janseniani plures Scripturæ textus; sed quibus probatur dumtaxàt dari gratiam efficacem, & esse in Deo voluntatem, scilicèt absolutam, & consequentem, cui non resistitur; quod ultrò concedimus: at non excludunt gratiam sufficientem & voluntatem Dei antecedentem, quibus resistitur. Vel probant, omnem gratiam habere aliquem effectum; at modò ostendam, non ideò posse dici simplicitèr efficacem.

Objiciunt 2. plures textus Aug. quibus requirit gratiam efficacem, ut homo possit velle, & facere bonum. R. Aug. intelligendum esse de potentia consequente, & conjuncta cum actu, non de potentia antecedente, & meræ possibilitatis.

Inst. 1. Aug. Libr. de prædest. SS. c. 8. ait, *eos, qui non credunt, foris tantùm audire, non intùs*: Et libr. de grat. Christ. c. 13. *Qui novit quod fieri debeat, & non facit, nondùm a Deo didicit secundùm gratiam, sed secundùm legem; non secundùm spiritum, sed secundùm litteram*: ergo deficiente gratia efficaci, quæ dat credere, & facere, non est alia interior secundùm Aug. R. 1. ista esse solvenda a Jansenio: ipse enim admittit parvas gratias interiores in eis, qui non credunt, nec faciunt. R. 2. sensum Aug. esse, eos, qui non credunt, nec faciunt, foris tantùm, & secundùm legem audire quantùm ad effectum; quia non magis credunt, aut faciunt, quàm si foris tantùm, & secundùm legem audirent, & discerent; non verò quantùm ad sufficientiam gratiæ, quasi nullam interiorem haberent. Constat enim ex probat. Conclusionis, Aug. agnovisse gratias interiores in iis, qui nec credunt, nec faciunt.

Inst. 2. Aug. de corrept. & grat. c. 10. 11. 12. in hoc statuit discrimen inter gratiam statûs innocentiæ, & gratiam statûs naturæ lapsæ, quòd gratia sufficiens esset propria statui innocentiæ; gratia verò efficax sit propria statui naturæ lapsæ: ergo juxta Aug. nulla datur gratia sufficiens tantùm in statu naturæ lapsæ. R. N. Ant. Equidèm docet Aug. Adamo datam fuisse tantùm gratiam sufficientem ad perseverandum, & nùnc dari Prædestinatis efficacem, at non dicit hanc esse propriam huic statui, & illam propriam statui innocentiæ: in hoc autèm inter utriusque statûs gratiam ponit discrimen, quòd homo in hoc statu ad perseverandum actu indigeat, non solùm gratia secundùm communem cursum movente, & applicante, sed gratia speciali sanante & roborante ejus infirmitatem: Adam verò, cujus natura erat sana, & robusta, indiguerit tantùm gratia secundùm communem cursum applicante, & movente, non altera speciali pretèr communem cursum sanante, & roborante. Vide, quæ de ista difficultate plusquàm satis dixi Dissert. 2. hujus Tract. art. 4.

Obj. 3. Juxta Thomistas omnis gratia interior, etiàm illa, quam vocant sufficientem, habet effectum: ergo omnis gratia interior est efficax, & nulla merè sufficiens. R. D. Ant. Omnis gratia habet effectum imperfectum, & minùs principalem, C. Perfectum, & principalem, ad quem datur, N. Undè D. Conseq. ergo omnis gratia est efficax secundùm quid, & cum addito minuente, C. Simplicitèr, & absolutè, N. Explicatur: equidèm docent Thomistæ, nullam esse gratiam actualem intrinsecè receptam, etiàm illam, quam vocant sufficientem, quæ non habeat aliquem effectum; idque a nullo posse negare arbitror, cùm id sola ratio naturalis, seposita nùnc auctoritate, evincat. Fieri namquè, imò concipi non potest, quòd Deus interiùs illuminet intellectum meum, & intellectus meus non illuminetur; quod moveat voluntatem meam, & mea voluntas non moveatur: sicùt nec fieri, nec concipi potest, quòd sol illuminet terram, & terra non illuminetur; quòd ignis comburat stupam, & stupa non comburatur; quòd moveam lapidem, & lapis non moveatur. Actio enim causæ est effectus inchoatus, & ut dicit Auctor, (*Hìc q.* 110. *art.* 2.) actio moventis in moto est motus. Jure ergo dicunt Thomistæ, omnem gratiam actualem, quæ est Dei motio, hoc ipso quo recipitur in anima, sempèr operari aliquem effectum.

Verùm, quia effectus, quem producit gratia, quæ remanet sufficiens, non est principalis, quem intendit, & ad quem datur; etenim, & ex voluntate Dei illam dantis, & ex propria natura tendit ad ulteriorem, & perfectiorem effectum, puta vel conversionem, vel actum meritorium, quem non obtinet, si quidèm ad eum disponat, & potentiam conferat; ideò non potest dici simplicitèr, & absolutè efficax; sed e contrà dicendo sub restrictione, quòd sit efficax quantùm ad aliquem, & minùs principalem effectum, scilicèt potentiam plùs, vel minùs proximam agendi, debet dici simplicitèr, & absolutè inefficax, eò quòd non obtineat principalem effectum, ad quem ordinatur & disponit & pro quo confert potentiam: quia juxtà Philosophos denominatio simplex, & absoluta alicujus rei petitur ab eo, quod est in ea perfectius, & principalius. Id aliquot exemplis illustratur, & ostenditur hunc esse communem hominum sensum, & loquendi modum. Sic Trid. requirit tanquàm dispositiones necessarias ad conversionem peccatoris fidem, spem, & amorem Dei inchoatum; suppono hæc sufficere, ut possit se convertere, non convertitur tamèn; nemo dicit gratias, quæ ipsi fidem, spem, & amorem inchoatum inspiraverint, esse simplicitèr efficaces, quin e contrà omnes dicunt equidèm fuisse sufficientes; sed, cùm non obtinuerint principalem effectum, nempè hujus peccatoris conversionem, ad quem ordinabantur, remanere simplicitèr inefficaces. Itèm suppono, dispositiones necessarias, & sufficientes, ut possim dare eleëmosynam, esse cognitionem miseriæ proximi & meæ obligationis, simùl motum charitatis, seu compassionis erga proximum; Deus per suam gratiam inspirat mihi hanc cognitionem, & hunc motum: Possum itaquè facere eleëmosynam, non facio tamèn: inutilem ergo reddo hanc gratiam, quæ mihi posse dederat: & quamvis sit quantùm ad aliquid efficax, non dicitur tamèn simplicitèr efficax, sed inefficax, quia non obtinet præcipuum effectum, scilicèt erogationem eleëmosynæ, ad quem data fuerat. Itèm hortor peccatorem, ut se convertat, expono ipsi enormitatem suorum scelerum, periculum damnationis æternæ, benignitatem Dei, quam offendit, & quæ ipsum patientèr sustinet. Ad hæc timore concutitur, cor commovetur, vult se convertere; sed passione indomita, & consuetudine inveterata abreptus relabitur, non se convertit: quis dicat, meas adhortationes proptèr aliquos effectus imperfectos fuisse efficaces? Quis e contra non dicat, me, & oleum & operam perdidisse, quia non obtinui, quod maximè intendebam? At verò hunc loquendi modum tenere non possunt Janseniani; quia juxtà Jansenium parvæ gratiæ, quas agnoscit, sempèr habent omnem effectum, quem habere possunt; nec dant verum posse ad ulteriorem. Vide ejus systema.

Obj. 4. Gratia sufficiens, quam sustinemus, ut dogma fidei, admittenda est sensu, vel Moliniano, vel Suaresiano, vel Thomistico. Si Moliniano: ergo sola gratia sufficiens Moliniana est admittenda de fide, quod est absurdum. Idem eadem ratione dicendum de Suaresiana, & Thomistica: ergo. R. Vix ullum esse dogma fidei, quod hac Sophistica argumentandi methodo non concutiatur. Sic, ut in subjecta materia sistamus, gratia efficax, quam omnes ut fidei dogma sustinent, admittenda est sensu, vel Jansenistico, vel Moliniano, vel Thomistico. Si sensu Janseniano: ergo sola gratia efficax Janseniana est admittenda de fide, quod est absurdum. Itèm præsentia realis corporis Christi in Eucharistia, quam omnes Catholici tenent ut dogma fidei, fit sensu vel Scotistico per adductionem, vel Thomistico per reproductionem: si sensu Scotistico: ergo solùm præsentia realis per adductionem est admittenda de fide, quod est absurdum: & sic de pluribus aliis. In hoc ergo peccat argumentum, quòd malè confundat substantiam dogmatis cum variis modis, quibus illud explicant Theologi. Substantia dogmatis pertinet ad fidem, non verò modi, quos

quos excogitarunt Theologi ad illud explicandum. Itaquè, dari gratiam sufficientem, quæ dat posse verum & relativum ad præsentes circumstantias, est substantia dogmatis, & pertinet ad fidem; quo vero sensu, seu modò sit explicanda hæc sufficientia, non pertinet ad fidem; sed permittitur Theologorum disputationibus.

ARTICULUS IV.

Quo sensu sit admittenda gratia sufficiens?

DIco: Admittenda est gratia sufficiens sensu Thomistico, non alio. Prob. Gratia sufficiens sensu Thomistico est, quæ confert homini facultatem benè agendi, ultra quam ut benè agat, aut benè utatur hac facultate, requiritur altera validior, scilicèt efficax; atqui admittenda est gratia hoc sensu sufficiens: ergo. Min. quoad 1. partem, nempè admittendam esse gratiam, quæ det posse facere bonum etiam iis, qui non faciunt, probata manet ex articulo præcedenti. Prob. 2. pars ratione allata in expositione systematis Thomistici. Actio bona est quid distinctum a potentia benè agendi, quid nobilius, & perfectius ipsa, & quod præcipuum est in negotio salutis; atqui Deus est prima, & immediata causa salutis, & omnis actûs salutaris: ergo, sicùt per gratiam sufficientem constituitur prima, & immediata causa potentiæ benè agendi, ita per gratiam efficacem a sufficienti distinctam constitui debet prima, & immediata causa actûs salutaris. Confirm. Non potest admitti gratia sufficiens sensu Molinæ, vel Congruistarum: ergo admittenda est sensu Thomistarum. Prob. Ant. Juxtà Molinam bonus usus gratiæ sufficientis, seu consensus, quem illi præbet homo, non est a Deo tanquam a prima causa dante illum, sed eum Deus expectat a voluntate creata, & ad summum est a Deo ut concausa per concursum simultaneum. Idem dicendum de gratia congrua; hæc enim, fatentibus ipsis Congruistis, nihil plus habet in ratione entis physici, & auxilii, quàm gratiæ Molinæ. Vide tertium systema: ergo. Hæc pauca nùnc: quæcumque enim probant necessitatem gratiæ per se efficacis, de qua infrà, probant hanc conclusionem.

Ut tamèn innotescat, nos non recessisse a D. Thom. & antiquioribus Thomistis in asserenda gratia sufficienti sensu dicto, neque nos eam tantùm propugnasse a condemnatione Jansenii, ut ejus censuram subterfugeremus, ut quidam effutiunt, quædam ex D. Thom. subjiciam. Itaquè, præmiso testimonio ex q. 106. hujus partis, cit. art. præced. in quo S. Doct. usurpat in terminis vocem *sufficientis* auxilii sensu nostro, addo sequentia. In c. 3. Ep. ad Ephes. lect. 2. ad hæc Apost. verba: *Cujus factum sum ego minister secundùm donum gratiæ Dei, quæ data est mihi, secundùm operationem virtutis ejus*, ait: *Tangit Apostolus auxilium sibi praestitum ad ministeriorum executionem: hujusmodi autèm auxilium duplex fuit. Unum quidèm ipsa facultas exequendi, aliud ipsa operatio, seu actualitas. Facultatem autèm dat Deus infundendo virtutem & gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum. Sed ipsam operationem confert, in quantùm in nobis interiùs operatur movendo, & instigando ad bonum....in quantùm virtus ejus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate* 1. 2. q. 109. art. 1. o. *Non solùm a Deo est omnis motio sicùt a primo movente, sed etiàm ab ipso est omnis formalis perfectio sicùt a primo actu. Sic igitùr actio intellectûs, & cujusque entis creati dependet a Deo quantùm ad duo. Uno modo, in quantùm ab ipso habet perfectionem, sive formam per quam agit: alio modo, in quantùm ab ipso movetur ad agendum.* Ibid. art. 2. o. *Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturae indiget homo in statu naturae integrae quantùm ad unum, scilicèt ad operandum, & volendum bonum supernaturale; sed in statu naturae corruptae quantùm ad duo, scilicèt ut sanetur, & ulteriùs ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium. Ulteriùs autèm in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad benè agendum.* Sit cæcus, qui in his non agnoscat gratiam thomisticè sufficientem, id est, gratiam, quæ dat facultatem benè agendi, ultrà quam ad benè agendum de facto requiratur altera efficax. Vide insupèr ibid. art. 9. & 10. 2. 2. q. 137. art. 4. Item 1. 2. q. 113. art. 7. & 10. & alibi. Eodem sensu gratiam sufficientem docuerunt Lemos, & Alvarez, Actores pro Ordine nostro in Congregat. de auxiliis, ut patebit in sol. Obj.

Solvuntur objectiones.

OBj. 1. Ista gratia non est sufficiens, prætèr quam alia requiritur; atqui prætèr gratiam sensu Thomistico sufficientem alia requiritur: ergo. Patet Maj. Quia sufficiens est prætèr quod nihil aliud requiritur. Quidam distinguunt Maj. sic. Ista gratia non est sufficiens grammaticalitèr, prætèr quàm alia requiritur, C. non est sufficiens theologicè, N. Quia Theologi intelligunt gratiam sufficientem, quæ dat posse bonum agere, licèt altera requiratur, ad actu agendum. Hæc responsio admitti potest: attamèn existimo, hujusmodi gratiam posse etiàm dici sufficientem, non solùm theologicè, sed etiàm grammaticalitèr, seu saltèm secundùm communem acceptionem hujus vocis *sufficiens*. Undè R. D. Maj. Ista gratia non est sufficiens ex omni parte, & in omni genere, prætèr quam alia requiritur, C. Maj. Non est sufficiens in suo genere, N. Maj. Ad cujus sensum, D. Min. Atqui prætèr gratiam thomisticè sufficientem requiritur altera in diverso genere, C. Min. in eodem genere, N. Min. Undè ad Prob. Maj. similitèr, D. Illud est sufficiens, prætèr quod nihil aliud requiritur in eodem genere, C. Prætèr quod nihil aliud requiritur in quovis alio genere, subdistinguo; & hoc solum dicitur sufficiens, N. Et insupèr dicitur sufficiens id, prætèr quod nihil aliud requiritur in suo genere, licèt aliud requiratur in diverso genere, C.

Dicimus itaquè gratiam, quæ sic dat homini facultatem benè agendi, ut si non agat, non ideò sit quia non potest, sed quia non vult; dicimus, inquam, talem gratiam proprio, & naturali sensu, atque juxtà communem loquendi modum esse, & vocari sufficientem, quamvis ad actu agendum requiratur altera efficax. Equidèm non est sufficiens in omni genere, & ordine, cùm requiratur alia alterius generis, & ordinis; sed est sufficiens in suo genere, & ordine: & dicimus, quòd sic loqui, sit loqui in sensu proprio, & proùt communitèr loquimur. Enimverò quotidiè dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, licèt ultrà debeat applicari subjecto combustibili; panem esse sufficientem ad nutriendum, quamvis prætereà debeat masticari, deglutiri, & concoqui; intellectum esse sufficientem ad intelligendum, licèt numquàm intelligat nisi ulteriùs adhibeantur species, & admoveatur objecto per ulteriorem motionem; Passionem Christi esse sufficientem ad nos salvandos, etiamsi nunquàm nos salvet, si aliundè nobis ejus merita non applicentur; & sexcenta alia. Sic inquam loquimur sermone communi, sic loquitur S. Thom. eadem exempla proferens hìc q. 109. art. 1. o. & 3. p. q. 61. art. 1. ad 3. Sicùt ergo, cùm dicimus ignem esse sufficientem ad comburendum, intellectum ad intelligendum, panem ad nutriendum, Passionem Christi ad nos salvandos, istæ phrases non significant in sensu proprio, & communi loquendi modo, ad comburendum, intelligendum, nutriendum, nos salvandos, de facto nihil aliud requiri in quovis alio genere, prætèr vel ignem, vel intellectum, vel panem, vel Passionem Christi, sed tantùm, quòd quantùm ad virtutem comburendi, intelligendi, nutriendi, nos salvandi, non alia requiratur virtus, quàm vel ignis, vel intellectûs, vel panis, vel passionis Christi. Ità, cùm dicimus gratiam esse sufficientem ad benè agendum, ista phrasis in sensu proprio, & secundùm communem modum loquendi non significat ad actu agendum nihil aliud requiri in quovis alio genere, sed tantùm, quòd sine quavis alia virtute ejusdem ordinis conferat nobis sufficientem facultatem benè agendi, si velimus. Quaproptèr imperitè nobis objicitur, quòd abutamur terminis, quòdque doceamus gratiam sufficientem, quæ non sufficit.

Inst. Omissa quæstione de nomine, & dato gratiam thomisticè sufficientem posse sano sensu dici sufficientem, quatenùs dat sufficientèr posse, saltèm est reverà insufficiens ad actu operandum, seu actu observandum mandatum; atqui ad hoc debet esse sufficiens; quia Deus non præcipit nobis, ut possimus observare mandata, sed ut de facto observemus: ergo. Prob. Maj. Illa gratia est insufficiens ad observandum actu mandata, cui ad actualem observationem deest aliud, quod non est in nostra potestate; atqui gratia efficax, quam Thomistæ requirunt ad actualem observationem, deest, & non est in nostra potestate: ergo. Ità Honor. Tournely q. 7. de grat. art. 4. concl. 3. R. N. Maj. Ad Prob. D. Min. Gratia efficax non est in nostra potestate ut effectus, qui illi subsit, C. Ut causa, quæ illi præstò adsit, N. Deus enim quantùm est ex se paratus est omnibus, qui habent gratiam sufficientem, dare efficacem, nec eam ulli denegat nisi proptèr culpam, quæ saltèm ordine, & natura præcedit subtractionem gratiæ efficacis. Et hæc est constans Doctrina S. Thom. & rigidiorum Thomistarum. S. Thom. 3. contr. Gent. c. 159. *Deus*, inquit, *quantùm in se est, paratus est omnibus gratiam dare*; vult enim omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, *ut dicitur* 1. *Tim.* 2. *sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicùt sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit, nisi lumine solis præveniatur.* In 1. d. 40. q. 4. art. 2. *Hominem carere gratia ex duobus contingit; tùm quia ipse non vult recipere; tùm quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autèm duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cùm enim Deus non velit nisi bonum, non vult istud carere gratia, nisi secundùm quòd bonum est; sed quòd iste careat*

gratia, non est bonum simplicitèr. Undè hoc absolutè consideratum non est volitum a Deo. Est tamèn bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligentèr se præparet, quia justum est; & hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quòd hujus defectûs absolutè prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret: sed ex parte Dei non est causa hujus defectûs nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis. Nihil sanè apertius, nihil expressius. Vide insupèr q. 24. de verit. art. 14. ad 2. in 2. d. 37. q. 3. art. 2. 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. & alibi.

Adstipulantur insignes & rigidi Thomistæ. Lemos Tom. 4. Panopl. l. 4. p. 2. tract. 3. c. 2. *Auxilium sufficiens*, inquit, *ità sufficientiam tribuat ad operandum, quòd defectus operationis nullo modo provenit ex insufficientia talis auxilii, sed tantùm ex defectu arbitrii, quod ei resistit & impedimentum ponit.* Et c. 6. *Deus tribuens auxilium sufficiens in eo offert efficax; sed quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci, quod sibi offerebatur.* Alvarez l. 11. de Aux. disp. 113. n. 10. *Deus*, inquit, *quandiù obligat præceptum, tribuit de facto auxilium sufficiens, paratus homini dare auxilium efficax, nisi eidem auxilio impedimentum præstaret.* Et disp. 80. ad 4. *Homo resistendo auxilio sufficienti impedimentum ponit, ne Deus sua gratia ulteriùs progrediatur.* Et ita conformitèr Trid. Sess. 6. cap. 13. ubi dicitur: *Deus, nisi homines illius gratiæ defuerint, sicùt cœpit opus bonum, ità perficiet operans velle & perficere.*

Corrigenda est itaquè hæc falsa gratiæ sufficientis notio, quam nobis affingunt Adversarii, ut scilicèt sit facultas ex se sterilis, cui Deus pro libitu subtrahit influxum necessarium ad eam reducendam in actum, sicque contingat, sempèr eam effectu frustrari. Est enim secundùm nos gratia sufficiens semen evangelicum, principium boni operis illud virtute continens, & ad quod de facto perveniret, nisi virtutis ejus cursum homo sua defectiva libertate sisteret: sicùt bonum semen terræ mandatum fructum ferret, nisi aliquo terræ defectu impediretur. Equidèm non diffitemur, imo pro certo tenemus, quòd, ut homo gratiæ sufficienti non desit, eique consentiat, requiratur gratia efficax; sed (quod benè adverte) ut illi desit, ut illi resistat, ut peccet, non requirtur gratia efficax, sed sufficit defectiva ejus voluntas; & quia illa resistentia, istud peccatum præcedit natura, & ordine privationem gratiæ efficacis, ideò verum est dicere, hominem privari gratia efficaci, quia peccando sufficienti resistit; non verò peccare, quia privatur gratia efficaci. Hanc gravissimam difficultatem totam quantam ex limpidissimis S. Thom. principiis plenè solutam, atque explanatam, & Honorati Tournely hallucinationes circà illam plenè dissipatas habès in Tract. nostro de Deo, Dissert. 8. art. 4. §. 3. illùc recurre, ne eadem repetam.

Obj. 2. Gratia thomisticè sufficiens est prorsùs inutilis: ergo non est admittenda. Prob. Ant. Illa gratia est inutilis, qua nemo unquàm utitur; atqui gratia thomisticè sufficienti nemo unquàm utitur: ergo. R. cum nostro Goudin, D. Ant. Gratia thomisticè sufficiens est inutilis ex se, N. Per accidens defectu hominis, C. Dat enim ex se verum posse, quod utile est; quòd si homo eo non utatur, hominis, non gratiæ, culpa est: Deus autèm, sicùt in natura, sic in gratia multa præstat ex se utilia, quæ nostro defectu carent effectu. Ad id, quod additur, gratia thomisticè sufficienti neminem unquàm uti, D. Nemo utitur gratia thomisticè sufficienti, reduplicativè ut merè sufficienti, C. Specificativè ut dat facultatem boni, N. Gratia sufficiens potest duplicitèr considerari, quod, ut observat laudatus Goudin, plerique non satis advertunt; 1. Ut est merè sufficiens, sub qua ratione connotat permissionem Dei, ut homo ei desit, illique resistat; & hoc sensu verum est, neminem illa gratia benè uti. 2. Spectari potest quoad propriam entitatem & proprium præcisè effectum, qui est dare posse bonum; & hoc sensu falsum est, nemine mea benè uti. Nàm plerique illa sic considerata benè utuntur & benè agunt, licèt hoc ipsum, quòd benè ea utantur, sit effectus gratiæ efficacis. Sicùt ergo virtus fructificandi in plantis non est frustrà, licèt in plerisque proptèr defectus accidentales remaneat sine effectu, quia in aliis fructum fert; ità a pari in nostro casu.

Obj. 3. Gratia thomisticè sufficiens est perniciosa: ergo. Prob. Ant. Ex ea homo fit pejor: ergo. Prob. Ant. Si ea careret, non peccaret, & dùm habet, totiès peccat: ergo. R. pari argumento posse probari rationem esse perniciosam, quia, qui ea caret, non peccat, & qui eam habet, peccat. Itaquè, N. Ant. Ad prob. N. Ant. Melior est enim, qui potest facere bonum, quàm qui non potest. Ad prob. D. Ant. Qui habet gratiam sufficientem totiès peccat, defectu pravæ voluntatis, C. Defectu gratiæ, N. Quin imo per gratiam sufficientem entitativè sumptam homo ponitur in statu non peccandi, sed suo defectu sistit hujus gratiæ cursum, & facit, quòd remaneat merè sufficiens.

Obj. 4. Nemo, nec ipsa Ecclesia petit a Deo gratiam thomisticè sufficientem: ergo non est bona, nec admittenda. R. D. Ant. Nemo petit a Deo gratiam sufficientem, reduplicativè ut sufficientem, C. Hoc enim esset petere a Deo, ut permitteret nos deesse gratiæ. Nemo petit a Deo gratiam sufficientem, specificativè & entitativè sumptam, N. Petimus enim a Deo omne, quod conducit ad salutem: talis est gratia sufficiens entitativè sumpta, quippè quæ dat facultatem boni operis, & sine qua non fieret, cùm citrà miraculum non ponatur actus sine potentia agendi. Ecquid quæso a Deo petimus nisi gratiam sufficientem, dùm petimus fidem, spem, charitatem, & alios habitus infusos; hi enim non dant agere, sed posse, & ideò reducuntur ad gratiam sufficientem entitativè sumptam. Cæterùm nota, hæc omnia argumenta posse retorqueri in gratiam sensu Congruistarum sufficientem.

ARTICULUS V.

Quid, & quotuplex sit auxilium gratiæ sufficientis.

DIco: Auxilium sufficiens non consistit in aliquo uno determinato indivisibili, sed in pluribus concurrentibus ad actus nostros, unoquoque in suo genere & inadæquatè. Prob. Nomine auxilii sufficientis intelligimus id omne, quod Deus nobis concedit, ut possimus facere opus salutare, ità ut non defectu auxilii, sed hominis se divino auxilio subtrahentis bonum omittatur, aut malum fiat; atqui Deus non multiplici modo adjuvat ad bonum, modò exteriùs per legem, per prædicationes, exhortationes, exempla, miracula, flagella, beneficia, &c. Modo interiùs per mentis illustrationes, voluntatis motiones, & habitus infusos virtutum: ergo. Confirm. Auxilium sufficiens est, cui homo resistit; atqui Scriptura exhibet plura genera gratiarum, quibus homo resistit, qualia sunt, quæ modò recensebam: ergo.

Hinc colliges, varias esse divisiones auxilii sufficientis. 1. Dividitur in externum & internum. Ad externum pertinent, quæ jam dixi, lex, prædicatio, exhortatio, exempla, miracula, adversitates, beneficia, imò certa rerum creatarum dispositio, per specialem providentiam directa, & imperata in ordine ad salutem. Internum est, quod Deus intrà hominem operatur ad ipsum promovendum in bonum, & avocandum a malo. Est duplex. Unum transiens, ut sunt illustrationes mentis & motiones voluntatis; alterum permanens, ut sunt habitus infusi. Ad hoc posset aliquo sensu revocari bonum naturæ, scilicèt bona indoles, naturalis amor virtutis, horror vitii, & alia similia, quæ sunt veluti naturalia virtutum semina, non quidèm quòd hæc valeant per se ad actus supernaturales, sed tantùm ad removendum peccatum, quo reddimur indigniores auxilii supernaturalis.

2. Dividitur auxilium sufficiens in morale & physicum. Ad morale pertinent auxilia externa, quibus Deus vel ostensione boni, vel comminatione mali, ad bonum nos movet. Ad illud etiam pertinent illustrationes mentis, quæ, quamvis respectivè ad mentem sint physicæ, respectivè tamèn ad voluntatem sunt morales, quatenùs eam tantùm movent objectivè propositione boni, vel mali. Physicum est, quo Deus ut causa efficiens hominem movet operando in voluntate, & eam immutando.

3. Dividitur auxilium sufficiens in proximum & remotum. Proximum est, quo quis immediatè potest bonum opus facere, ut sunt v. gr. habitus infusi respectivè ad suos actus. Remotum est, quo quis non est quidèm proximè potens ad actum, sed tamèn potest facere aliquid facilius; quod si faciat, perveniet ad actum: v. gr. peccator non est proximè potens ad superandas graves tentationes, sed potest per gratiam orare; quod si fiat, fiet proximè potens ad vincendas tentationes. Hanc differentiam indicat Trid. Sess. 6. cap. 11. ex Aug. dùm dicit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis*: en auxilium proximè sufficiens, *& petere, quod non possis*: ecce remotè sufficiens. Hæc distinctio est apprimè utilis ad solvendas plures difficultates.

Posset insupèr dividi auxilium sufficiens in collatum, & oblatum, quod nempè reciperemus, si per nos non staret. Itèm in immediatum, quod confertur personæ, & mediatum, quod confertur alteri, ut auxilium collatum parentibus pro pueris, qui non sunt capaces auxilii sufficientis propriæ personæ collati.

AR-